


Regii Joachimici examen publicum in diem Martii vigesimum tertium et sequentes constitutum studiis et frequentia concelebrent Illustrissimum Excellentissimum Praesidem Curatores Gymnasii amplissimos consultissimos Visitatorem de schola optime meritum : Omnes qui Musis Joachimicis scholisque bene cupiunt ea qua par est observantia invitant at que rogant Rector et Professores

Berolini: Rellstab, 1795

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816937656>


Druck Freier  Zugang



Hb

2.

Ab 2.



~~XXIII. 15.~~

H. L.
25. S.

Q. D. O. M. B. V.

Regii Joachimici

examen publicum

in diem Martii vigesimum tertium et sequentes

constitutum

studiis et frequentia concelebrent

Illustrissimum Excellentissimum

Præsidem

Curatores Gymnasii amplissimos consultissimos

Visitatorem de schola optime

meritum


Omnes qui Musis Joachimicis scholisque

bene cupiunt

qua par est observantia

invitant atque rogant

Rector et Professores.



BEROLINI,

typis IOH. CAROLI FRIDERICI RELLSTAB.

MDCCXCV.

H. L. 25.

Ordo et series examinis.

Die 23 Martii hora nona, omnes classes secundæ aderunt, rationem reddent, quid in Latinis, Græcis literis, quid in historicis et philosophicis disciplinis profecerint.

Tum juvenis ornatisimus Carolus Fridericus Drege Gardelegiensis oratione germanica exponet: quid bellum efficiat in natione, quæ suis quidem copiis et opibus, verum procul a finibus hostium vim propellit.

Post meridiem hora tertia, primæ omnes classes lectionum tantum non omnium rationem reddent; tum hoc die lustratorum censura sequetur.

Die 24 Mart. hora nona, classes quinta, quarta Latinæ, quarta Græca, tertia et secunda propædeuticæ aderunt.

Hora 3. a meridie prima propædeutica, Latina tertia comparebunt, tentabuntur, omnesque censentur.

Die 25 Martii, inde ab hora decima, quinque juvenes ornatisimi, quæ de variis argumentis fuerunt commentati, publice edifferent.

1. Theophilus Ludovicus Henricus Grack Berolinensis patriæ amorem sub regis imperio descriptum dabit, Germanice.
2. Georgius Fridericus Schultze Perlebergens rationem distributi orbis terrarum mare inter et continentem terram, exponet patrio idiomate.
3. Philippus Ferdinandus David Naudé Berolinensis studium antiquorum auctorum classicorum per otium nos utilissime retinere, probatum ibit Latine.
4. Joannes Christianus Theodorus Wehrmann Tangermundensis Germanice exquiret, num amicitiae fidelior et pervulgatior cultura barbaris gentibus recte tribuatur?
5. Joannes Rudolphus Boots Berolinensis laude fundatoris scholæ hujus præmissa, vale Gymnasio dicet.





Res non ita diu ante se gestas sibi literis consignandas sum-
ferat Tacitus. Nostri ævi scriptores, dum recentissima
quæque sibi describenda sumunt, in eo forsan laborent,
quomodo vitent, quod evulgare non liceat neve conveniat; raro vere in
eo, unde nanciscantur et habeant, quod omnino dicant. Commentarii
quippe tot diurni, perennes vel perpetui hodie cuncta, facta infecta, con-
sulta, inchoata, omissa, undique collecta offerunt. Eadem exiguo ple-
rumque temporis spatio interjecto jam sæpius alia sub forma sub censuram
revocantur, dijudicantur, modo novis rationibus adstructa constituuntur,
modo melius cunctis perpensis evertuntur, ut historicus cuncta tantum
non preparata inveniat.

Tacito vero ipsum rerum narrandarum argumentum latens sæpe in-
vestigare, sedulo tecta et obscurata elicere, manca et mutila membris
aliunde conquisitis restituere, sanare, et in formam integri corporis redi-
gere erat necesse. Perperam igitur auctoris prisci laborem æstimaremus
ex facilitate hac ævi nostri. Arduum contra negotium sibi imposuisse
Tacitum fateamur. Non externas tantum res imperii Romani bellis perpe-
tuis et gravissimis implicati per centum fere annos; non provincias tan-
tum, regionibus tam vastis terminatas, quam quidem orbis terrarum tum
patere videretur, explicandas sibi destinarat: verum etiam acta per pacem
insidiosam, et res domesticas urbis hominibus subdolis frequentissima
accuratius percensendas. Eque his rebus non tantum ea, quæ in actis se-

A

natus,



natus, in concionibus, orationibus, sententiis, in legibus vel rogatis vel oppugnatis continerentur, verum etiam vitam describere, effigiem quandam se dare velle profitetur imperatorum, principum, eorumque amicorum; tum magistratuum, senatorum, privatorum, mulierum adeo, quotquot vixerint virtutibus vel vitiis memorabiles. Neque vero illa tradere velle, uti descripta ab aliis auctoribus accepisset, ne commendatio suæ narrationi unice a compositione apta et concinna quæreretur: res ipsas potius inquirendas, probationes ab aliis allatas excutiendas, testimonia quasi a cognitore vel quæsitore ponderata referenda sibi ducebat, ut non quale circa aliorum fidem suum iudicium, sed quæ ipsius fidei et mentis integritas esset, spectari vellet. Ipse igitur dijudicari velle, non tantum quid considerando, perpendendo utramque partem perspicere posset; quomodo mente valeret: sed potius quæ sentiret, quis qualisque ipse esset. Id de tam diffusis per vastum imperium rebus, de tot hominibus, qui per tres ætates vixissent, præstare, vel ingenioso arduum, nisi idem vero summam contentionis vim adhibere velit, temerarium adeo putemus.

Habuisset quidem insigne levamentum hujus operæ, si iudicia æqualium, et sermones civium de unoquoque homine, vel insigni ejus facto servata, et literis consignata ad eum pervenissent. Nam nunquam diu æquales tum fallebantur circa alicujus mores, factorum dictorumque indolem et naturam. Quis vero, præter eos, qui ipsi historiam conscribere vellent, hæc omnia literis consignare, operæ duxerit pretium? Quis vel otio eo fruebatur, ut posset, quis libertate adeo valebat, ut auderet, quis posteritatis amore sic incendebatur, ut in gratiam orituri alicujus inter posteros historici vellet cuncta complecti? Quærere quidem Tacitus poterat et debebat, an qui existerent, unde hæc describere daretur; sed sperare ingredienti suam narrationem vix licebat, fore ut ob copiam scriptorum opera difficili sane colligendi, conscribendi, vel potius recens formandi integrum corpus superfederet.

Auctores, quos rerum percipiendarum causa Tacitus
potuisset consulere.

Exemplaria quidem, quomodo historia recte conficeretur et apte conscriberetur, proximum, ut constat, ævum illi offerebat. Memorat ipse illos, a quibus quippe *claris scriptoribus veteris populi Rom. prospera, vel adversa memorata essent: temporibus Augusti, *)* inquit, *dicendis non defuere*

*) Annal I. 1.

desuere decora ingenia. Omitto Sallustium, rerum Romanarum florentissimum auctorem. Ex mente sua, cæterum Cremutii Cordi ore Titum Livium eloquentie ac fidei præclarum imprimis nominat *); Asinii Pollionis, Mess. Corvini opera historica spectatissimis fide et libertatis sensu annumerat. **) Non hos tamen solos antiquioribus auctoribus, ex quibus historia et annalium argumentum haurire Tacitus nequaquam posset, merito annumeres; verum etiam Cremutium Cordum, quippe qui Augusto, sane hac lectione delectato, historiam suam prælegisse dicitur, præterea T. Labienum, cujus libri, teste Seneca, primum ex Scto exusti fuerant.

Neque Græcorum celebratissimi Dionysius, Diodorus, huc non referri debent, qui remota tantum tempora sibi pertractanda sumserant: neque vero a Plutarcho, quanquam infra Antonium et Augustum Othonis vitam describendo descenderat, magnopere rebus inde repetendis adjuvari, neque in ornandis exemplo instrui poterat; nam is sub Nerva et Trajano demum inclaruit. Græcus vero homo, isque externa commoratione, et vitæ annis ipsis remotior, non accuratius Romano res Romanas reddere posse videri debebat, neque liberius audere.

Numerosa tamen superesse videtur scriptorum clasfis, quos ob inlarescendi studium omnino filere pigebat, qui vero vel radio temporum, vel metu, ne cuncta et proxima quæque vel adeo præsentia narrando potentes irritarent, aliena et externa describere præoptabant. Huc in primis referendus videtur Cornelius Nepos, qui mente sane civili et Romana percitus, tamen potius Græcis aliena singulari amore prosequentibus rependere quasi operam malebat, quam res omnes sui ævi exponere. Sic post eum L. Arruntius, Sallustii alias imitator, bella Punica sibi scribenda elegerat; in quo argumento etiam C. Silium Italicum famam captare voluisse constat. Trogus quidem Pompejus mundi quasi origines se daturum professus, idque ingressus, tamen in rebus Macedonicis subsistere, historiamque inde Philippicam nominari maluit. Notissimum in eodem argumento declamatorem Curtium Rufum non est, quod hic memorem. Alii, qui in Romanis quidem rebus describendis consistendum sibi esse ducerent, compendii formam sequebantur, cujus lege prætexta accuratam quamque vitiorum et scelerum expositionem vitarent. Alii, cum Vellejo et Floro, Dominorum observantia et cultu abrepti, in foedam adulationem modo principibus viris, modo Romanis omnino datam sese effundere. Quibus nec filere volupe videretur, neque ad adulationem se demittere, hi partes aliquot rerum præsentium excerptere. Imperium e.g.

A 2

Nero-

*) Annal III. 30.

**) Annal IV.

Neronis, Domitiani, quæ vituperare per deos hominesque, et per ipsos tyrannorum successores licebat, religiose C. Plinius descripsisse fertur. Alii argumentum omnibus probatum, in quo offendere non possent, eligere; sic annales Vespasiani et Titi separatim scriptos invenies. Alii externa quæque, remotissima ab urbe, inque extremis finibus Romani imperii gesta literis consignare. Sic multi, ne res urbanas tangerent, situm et populos Britannia, ad ostentationem *cure* et ingenii evulgavere, naturam Oceani, *quamquam non satis comperta, eloquentia* percoluere. *) Sic C. Plinius ipse omnium bellorum Germanicorum accuratissimus auctor audire, quam res Romanas tradendo sibi scriptisve periculum excitare maluit. Alii, principes quippe, qui sine periculo, non tamen sine modestiæ laude id acturi viderentur, ad exemplum C. Julii Cæsaris res suas conscripserunt. Dum hic Augustum, M. Vipsanium Agrippam, Tiberium, immo Claudium, et inter feminas principes Germanici filiam, Agrippinam Neronis matrem memorare licet, ex tot privatis contra vel ducibus, vel Consularibus, si ab antiquioribus Cicerone, Rutilio, Scauro discesseris, neminem fere vitæ suæ auctorem memorare datur. Si pauci modo scribere fuerint ausi; nullum propinquorum ea, quæ libere conscripta essent, in vulgus exire esse passum, apparet. De causis his aliisve, cur talia, vel cum cura conscripta, postea studio et admirationi legentium subtrahebantur vel celabantur, Tacitum ipsum **) audias. „Ac plerique, suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi, nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit: quam non petissem, ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora. Legimus, cum Aruleno Rustico Patus Thraëa, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum favitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.“

Iniquius omnino tum scriptoribus omnibus fuisse consultum, si non alia omnia loquerentur, insignis Taciti nostri locus, ***) foret indicaturus. „Igitur, ut olim plebe valida, vel, cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatum ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum, et sapientes credebantur: sic, converso statu, neque alia re Romana, quam

fi

*) Vit. Jul. Agric. c. 10. **) Agric. I. 2. ***) Annal. 4. 33.

fi unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit: quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt; plures aliorum eventis docentur, ceterum profutura, ita minimum oblectationis adferunt.⁶⁶ Restabant tamen forsân, iique non pauci, qui quas res viderant, et quarum pars magna fuerant, consignatas reliquerant. Meminit omnino Tacitus eorum, qui res per bella civilia gestas eo fere tempore, quo gestæ fuerant, aliis tradidissent. *) Sed quum ne unius quidem eorum nomen memoret, quum sic eos excitet, ut fidem penes testes sine nomine et auctoritate esse jubeat, facile judicari potest, Tacitum non magno opere illorum rationem habendam voluisse. Quin, quæ ex ejusmodi auctorum scriptis hauriantur, ideo non pro verisimilibus, minus vero pro affirmatis, duci debere alibi **) aperte indicat. „Nec sciri potest — — — Scriptores temporum, qui potente rerum Flavia domo, monumenta belli hujusce composuerunt, curam pacis et amorem rei publ. corruptas in adulationem causas tradidere. Talium igitur auctoritati ex suo assensu pondus accedere nefas habebat. ***) Ceterum testimonio cuivis, immo rumori, si iis semel divulgata per aliquod temporis spatium repetita, multisque probata fuissent, id tamen tribuendum putabat, ut in suam narrationem reciperet. *Vulgatis traditisque demere fidem non ausim.* Ideo sæpe sibi religioni ducit, testimonium aliquod omittere, quod usquam repererat, etiamsi rationes historix conscribendæ aliud quid suassent. *Asseverare non ausim, ****) quamquam alii tradiderint.* Certo quidem verbo, *ut affirmatur, *****) rumorem noster indicare, qui non omnino intercidit, et quamquam dignitatem testimonii non sit adeptus, auctori tamen omnia circumspicienti non omnino omittendus videatur.* Numerasse quippe illi videntur auctoritates, quasi

B judi-

*) Sic hist. L. 3. c. 25. *rem nominaque auctore Vipstano Messalla tradam.* et c. 51. *Celeberrimos auctores habeo.* Quos quum Tacitus se habere dicit, vulgus lectorum illos nondum in manibus habere innuit. *Celeberrimi* autem Tacito ideo vocari videntur, quoniam viri ipsi, qui res sic viderant, vel sic sibi finxerant, rebus gestis quidem omnino, si minus scriptis suis nominis famam essent adepti. Vipstanius iste Messalla ipse rebus gestis interfuerat; ideo auctor vocari potest, non quasi omnibus scripserit, sed quod familiaribus, forsân Tacito ipsi narraverit; quæ adeo ob auctoritatem tanti viri Tacitus tuto repetere posse videtur. Aliter scilicet noster loquitur, si literis consignatas quasdam narrationes se ante oculos habere significat. Tum ut hist. I. 2. c. 37. legimus: *invenio apud quosdam auctores.* item hist. III. c. 54. *Quidam eadem tradidere:* et Annal. 5. c. 9. *Tradunt temporis ejus auctores.*

**) Hist. L. 11.

***) Hist. II. c. 50. *Conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate cæpti operis crediderim.*⁶⁶

****) Hist. III. c. 22.

*****) Hist. II. c. 49.



judices quas sententias. Ars ponderandi illa, et ex regulis critices suum cuique pretium statuendi nondum exstabat. Plinius in historia naturali exemplo fit, quem, quæ ipse primus literis mandare non sustinisset, referre tamen non piget, non quod vera sibi viderentur, sed quod auctoris cujusdam nomine commendarentur. Insigne non minus hujus incuriæ *) specimen Tacitus in sua originis gentis Judaicæ expositione edit. Videbat ipse probe, testimonia recentissimi cujusque et gravissimi esse præferenda, hinc de asphalto mirabilia exsequutus **) addit: *sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt.* Videt quoque, unicuique, qui talia colligit, testimoniis singulis quasi judicium discernentis vel decidentis esse addendum: *campi, quos, ferunt olim uberes. — — — Ego, sicut inclitas quondam urbes igne cælesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram reor.*

Exquisivit præterea Tacitus ex viris militaribus ea, quæ ad expeditionem in Judæam, adque obsidium et expugnationem Hierosolymorum pertinerent. Verum ab iisdem repetere neglexit, quæ ad mores, opiniones, cultum, ad libros sacros Judæorum, quæ ad primordia hujus gentis, et pristinam historiam explicandam facerent. Quod si longum fuisset, ex ipsis ducibus, vel ducum comitibus sciscitari, rescivisset tamen procul dubio, esse huic populo sua literarum monumenta, quæ ista cuncta continerent; et quamquam gens ex opinione Græcorum abstrusa teneat et amet, non deesse tamen libros Græca lingua conscriptos, et sic cum omnibus legendi cupidis posse communicari. Quamquam Judæi sub Tiberii imperio urbe fuissent pulsi, tamen id ipsum, quod quatuor millia *libertini* generis, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam fuissent vecti, id ipsum inquam, quod tot liberti ob nullam aliam culpam, quam quia suis sacris essent dediti, superstitione infecti, et in codicibus suis retinendis pertinacissimi, servili modo forent habiti, Tacitum advertere debuisset, hæc sacra, quibus tam pertinaciter adhærerent, digna esse, quæ ex ipsis fontibus cognoscerentur. Reperiri codices των LXX quam facillime Romæ potuissent, quum tot Judæorum synagogæ, tot Christianorum postea cœtus Romæ celebrarentur. Judæorum ritus, opiniones dictis at proverbiiis

in

*) Neque vero incuriam hanc Christianus Wormius emendare magnopere studuit, qui in eruditissimo sane *de corruptis antiquitatum Hebræarum apud Tacitum et Martialem vestigiis*, Hafniæ 1693 edito libello novas quasdam, non fere minus portentosas opiniones adstruit, non vero secernit neque dijudicat, ex quo fonte quævis depravata et corrupta Tacitus hauserit

**) Histor. L. 5. c. 6.

in Romanorum circulis et libellis exagitabantur; tot Proconsulum *) in relationibus, tot senatusconsultis hæc disceptabantur. Concedamus porro Tacitum putasse, hos libros nequaquam ad historiam facere, quia ritus tantum et placita Judæorum continerent. Nonne hoc ipsum, quod inter Romanos primus hæc accuratius exponere posset, gravitati vel gratiæ operis instituti conveniens duceret? In argumento cæterum simili, quod tamen nunquam judiciis provincialibus, relationibus Proconsularibus, Senatusconsultis et Imperatorum mandatis fuerat celebratum, quodque cum cæteris Judæorum rebus comparatum Romanis ipsis nullius fere momenti videri debebat, multo curiosior ipse fuit, curiosioresque lectores sibi finxit. **)

„Est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem deumque, nec simulacrum deo aut templum, sic tradidere maiores, aram tantum et reverentiam. Illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos, inspectis identidem extis, quidquid est, inquit, Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia; datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum. Has ambages et statim exceperat fama, et tunc aperiebat, nec quidquam magis in ore vulgi, crebriores apud ipsum sermones: quanto sperantibus plura dicuntur.“

Iterum, quum eundem Vespasianum adyta templi Alexandrini intrasse memorasset, adjungit: „Origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegyptiorum antistites sic memorant — hæc de origine et advectu dei celeberrima.“ Adeo non displicuere nostro externa, ut potius cupide memorarit ea, quæ ab auctoribus et exteris et fide minus dignis repetenda forent, quum per Latinos scriptores nondum essent communicata. Cur, quæso, non eadem illi mens est, dum tractat res populi, qui per tot annos resisterat armis Romanorum, quique ne post Titi victoriam quidem contemnendus videretur, quippe cujus triumphati præda, interque illam vasa, forte etiam codices sancte habiti, splendide ornati, Romæ ipsi decus addere, inque Titi monumentis locum mereri viderentur. Nescio an viro cuncta circumspicienti, et gravissima quæque sectanti hæc negligere licuerit? Cæsar imperator in ipso rerum gravissimarum et trepidarum, ancipitium decursu origines, sacra et opiniones Germanorum, Gallorum, Britannorum adeo non sibi omittenda duxerat, ut potius commentariis suis brevitate et rerum pondere se commendantibus, hæc inferere necesse duxerit. Cur Tacitus vero credidit, se supersedere posse opera, hæc ex Judæorum sacris

B 2

libris,

*) e. g. Plinii minoris, nostro familiarissimi.

**) Hist. II, c. 78.

libris, quasi ex propriis sedibus et fontibus hauriendi et deduceendi. Cur, quod promptissimum fuisset, non ex Josephi historia transtulit? Concedamus sane, Josephum non ita Romæ fuisse æstimatum, quam quidem studium Judæorum vel Christianorum id de illo prædicat; concedamus nullam illi Romæ positam fuisse statuum; nullo Titi mandato Tacitum se adactum putasse, ut res in Judæa gestas ex solius Josephi narratione repereret; sint hæc prava quadam gentilium ambitione conficta; innotuit tamen certe Romanis vir is Græca humanitate imbutus, quique cum militari quadam, dum res patriæ afflictæ finerent, gloria Romanos et civiles quasi animos conjungeret; et si minus sua urbanitate et elegantia, Titi certe favore commendaretur. Josephi librorum fama non poterat non ad illos pervenire, qui de Judæis ejus ævi sibi omnino quid audiendum putarent. Romanorum de libris istius judicium ad istos posteris servandos non minus fecisse equidem censeo, quam incensum in istos Judæorum vel Christianorum favorem. Cur hos non adiit, cur eius narrationes non cum relationibus ducum Romanorum ivit comparatum? Cur ne gentis quidem primordia ex viro ejusdem gentis repetiit? Sane in omni Taciti historia nihil non tantum a vero adeo absolum, sed quoque ad judicium cujusque, qui posthabitis testimoniis rem ipsam ex se eque natura perpendit, nihil magis absurdum inveniri potest, quam narratio de gente Judæica. Si omnes res memoratæ, omnes exterarum gentium origines ex tam impuris, vel, ut vere dicam, nullis adeo fontibus a Tacito sunt petitæ, misera sane posteritas, miserandi faciles lectores, qui sic ab his humanitatis doctoribus deludantur! Prima, quam adducit, opinio, ex pervulgata quadam inter Græcos traditione repetita est: *) *memorat* Judæos Creta profugos; argumentum e nomine Judæorum ducitur. Tum Tacitus statim subjicit, nulla ratione habita, an cum ista opinione conveniant, vel illi repugnent; *quidam* exundantem per Aegyptum multitudinem inde exoneratam, *plerique* Aethiopum prolem. *Sunt qui tradant*, Assyrios convenas. Clara *alii* Judæorum initia, Solymos esse, gentem Homero celebratam. *Plurimi auctores consentiunt*, **) Bocchorim hoc genus hominum, invisum deis, alias in terras evehere oraculo Hammonis jussum. ***) Huic quidem narrationi plurimum fidei habere videtur. Primum enim, quasi in certo constitutus, directa oratione utitur: *Assensere*, atque omnium

*) Hist. V. c. 2.

**) Quis quæso hos *plurimos* ab istis *plerisque* discernere queat?

***) Hæc ex Lyfimacho sine dubio sumta, Josephi melioribus adjumentis adhibitis si librum contra Apionem adire tanti fuisset, restituere et sanare potuisset.

num ignari fortuitum iter *incipiunt*. Tum vero defectum aquarum, ex Mosis narratione notissimum, cum asinis, Mosis si deo placet ducibus, miscet. Tum legibus Mosaicis, scilicet, non deformem asini cultum obtrudere; sabbati quietem ex sex omnino dierum itinere per desertum derivare; sacrificia arietum in contumeliam Hammonis, bouum victimas ex odio Apis dei explicare; abstinentiam carnis suillæ ex scabiei contagio deducere; panis absque fermento pultem ac farraginem ex raptis subito frugibus subigere, fingere, coquere. *Alios* tum, nullo de alterutrius auctoritate iudicio adjecto, excitat, qui Saturnum, septimum planetarum, inde sacrum septenarium numerum in censum referunt. Tum de libidine hujus gentis, de odio generis humani, de auro templi, quæ recentissima a Romanis in hanc gentem conjecta erant crimina, cum antiquioribus Græcorum mendaciis, quasi quæ per certos testes fuerint comperta, confidentissime coagmentat; addit tandem epilogi loco doctrinam de animarum immortalitate, eamque ornat et aptat ad mentem septentrionalium populorum, qui animas per proelia vel supplicia injusta peremptorum reviviscere perhibent. Tandem tamen, quasi qui meminisset, se iudicis temporum partes sustinere, unam saltem istarum traditionum non sine sua epicrisi esse dimittendam videt: Liberum patrem coli, domitorem Orientis, *quidam* arbitrati sunt, *nequaquam congruentibus institutis*. Quippe Liber festos lætosque ritus posuit: Judæorum mos absurdus fordidusque. Quasi antea ab ipso memorata melius inter se consensissent. Videmus hic testium nec patriæ, nec ævi, neque vero ingenii, indolis, morum ullam fuisse habitam rationem.

Indicat quidem alibi, *) se variis omnium gentium auctoribus esse usum. De Phœnice ave agens doctissimos indigenarum (Aegyptiorum) et Græcorum discernit. Ceterum neque hic, neque usquam auctorum suorum nomina apponit. Moris tamen erat inter Romanos, ut quorum auctoritatem in rebus exponendis essent sequuti, eorum quoque nomina ederent. Sic non tantum Varro in utroque opere, non Plinius major tantum in tam vasto et multiplicem copiam complexo opere accuratissime sua quæque ad nomina referunt; sed Julius Cæsar **) quæ Eratosthenes de Germania dixerat, cum iis comparat, quæ ipsi usu venissent. Cornelius Nepos quam maxime in eo sollicitus est, ut at Thucydidem quam sæpissime ***) itidem tamen ad Homeri certam rhapsodiam ****); porro ad Cleonem Halicarnasseum, ad Theopompum, Timæum, Dinonem, ad

C

Poly-

*) Annal. 6. 28.

**) c. g. Bell. Gall. I. 6. **) Themist. I. 7. Idem Paus. 2.

****) Dion. Cass. (**) *quidam* arbitrati sunt, *nequaquam congruentibus institutis*.

Polybium cuncta referat, quæ ex iis potissimum hauserat. *) Quis est, qui nesciat, quoties Livius non tantum in Punicis rebus Græcos Romanorum testimoniis adversantes inter se composuerit; quoties præcipue in prioribus decadibus Romanos, eosque non solum reconditos, verum etiam omnibus notos testetur? Quod an in civilium bellorum memoria fecerit, nos quidem quibus ista perierunt, ignoramus. Cornelius quidem non modo recentiores Rom. historicos Sulpicium, Attici librum annalem laudat, hosque cum relatis ab aliis quasi quos testes inter se comparat; verum etiam sermonibus quorundam, non rumoris levitatem, sed quasi testimonii historici auctoritatem tribuit. **) Hoc nostro non omnino integrum erat, quippe qui versaretur plerumque in rebus in urbe vel in aula gestis, quarum accurata commemoratio, iis a quibus referrentur, odium, invidiam, feras pœnas excitare, immo gravissima scelera gentium et familiarum redintegrare potuisset. De viris et factis, quibus origo horum odiorum tribuenda erat, sententiam libere tulisse, id mala publica reducere erat. Audiamus ipsum conquerentem, se iniquiorem conditionem subiisse, dum historiam horum temporum sibi describendam statuerit ***). Nos sæva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, et easdem exitu causas coniungimus; obvia rerum similitudine, et satietate. Tum, quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam, Punicas Romanasve acies lætius extuleris: at multorum, qui, Tiberio regente, pœnam vel infamiam subiere, posterum manent, utque familiæ ipsæ iam extinctæ sint; reperies, qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi objectari putent, etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens.“

Etiam si igitur annales omnes, et commentarii domestici illi patuissent, tamen ubivis indicasse, unde quodque petierit, auctores rerum relatarum omnes nominasse, non liberum illi videri. Multos enim sæpe inter sese commisisset, dum unius nomen prodidisset. Porro, vel ubivis erant nominandi, vel, ubi hoc non impune facere videretur, ipso silentio erat prodendum, hic interesse alicujus, vel ejus propinquorum, ne lectores in vestigia deducerentur, quibus iste indicaretur, a quo hæc primum consignata, et cum Tacito fuerint communicata. Ideo ubivis nomina auctorum omittere satius videri. Non omnibus quidem providentia et debita amicis cura hoc suadere. Ut unum afferam, Suetonius Tranquillus

*) Lyfand. 3. Alc. II. Con. 5. Dion. 6. Hann. extr.

**) Caton. I. ut M. Perperna consobrinus narrare solitus.

***) Annal. I. 4.

lus non tantum sæpe testes rerum a se narratarum appellat, verum etiam judicalem quasi testimoniorum comparationem instituit. *) Verum vitarum talium scriptoribus hunc morem concedendum putabat Tacitus. Hi enim, quum de singulis quibusdam suo iudicio electis rationem sibi reddendam professi essent, testimoniis quoque certis hæc electa adstrui oportere putabant. Tacitus vero, qui omnia complecti vellet, fidem sibi haberi optabat, quasi qui, vel nullius auctoritate præter suam adhibita, cuncta vere et recte exponat. Uti vero ipsa scribentis mens cuncta quasi viva ante oculos habeat, sic lectores quoque in rem ipsam deducere, et quasi tot rerum spectatores reddere studebat. Eloquentiæ quippe proprium tum opus aliquod videbatur historia. Eloquentiam autem quod ad copiam, libertatem coerceri, ad severas leges adstringi, inque arctum redigi putes sollicita nimis circa singularum rerum testes cura. Tot nomina prisca, recentia, nota vel ignorata ubivis excitare, id erat quasi eloquentiam extra ingenii fines avocare, inque aridiora aliqua loca, quasi cui igni interdictum sit, ejicere. Superfedeat igitur Tacitus diligentia tam sollicita ex auctoribus ejus ævi momenta quævis rerum, vel ipsa minutissima repetendi. Alios fontes sibi patere videbat, unde necessaria et ad suum finem apta hauriret.

Monumenta publica.

Repleta sane tum erant cuncta effigiibus virorum illustrium: et quo magis quis in vulgus notus esset, eo pluribus statuis vel effigiibus celebrabatur. Sejani opera effectum erat, **) ut incendii magna vis intra unum Pompeji theatrum stare, censuere tum patres effigiem Sejano, quæ apud theatrum Pompeji locaretur. Eundem Tiberius ut focium laborum non modo in sermonibus, vel apud patres et populum celebrare, sed coli etiam *per theatra et fora* effigies ejus, *interque principia legionum* sinere. ***). Innumera talia monumenta exstiterint oportet isto ævo „Statuarum Germanici locorumve, in quibus colerentur, haud facile quis numerum inierit. ****). Adde huc, quod clarissimi viri non tantum imagines ad sui similitudinem effictas post se relinqui vellent, sed quod etiam memoriam rerum singularum in operibus et artificiis ad posteritatis memoriam prodi amarent. Memineris Titi arcus, unde nos quoque simulacra sacrorum Judaicorum in triumpho deportatorum desumimus; Trajani columnæ, quæ nobis gentium devictarum habitus, arma, et formas

*) Jul. Cæs. c. 46. 49. Caj. Cal. c. 8.

**) Annal. III. 72.

***). Annal. IV. 2.

****). Annal. II. 83.



monstrat. Quin Domitianus *) adeo, quum inter Flavianos Capitolii defensores, apud ædituum occultatus, follertiaque liberti, lineo amictu facricolarum tectus, a Vitellianis pro popa habitus, tandem fuisset servatus, rem omnem, qualis acciderat, imagine marmorea expressam ad posteros pervenire voluit: „Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum Jovi conservatori, aramque posuit, *casusque suos in marmore expressit.*“

Adde talibus monumentis clypeos, qui in curia suspenderentur, quibus ingeniosissimus quisque imaginem suam, inter veteres eloquentiæ auctores, inveniri quam maxime vellet: adde nummos in honorem hominum et factorum multorum conflatos; adde tot inscriptiones publice propositas, adde titulos imaginibus in atriis adscriptos; adde adeo incensa studia privatorum, ut virorum magnorum, qui gentem aliquam illustrarent, facta præcipua quovis modo in ædibus efficta posteris commonstrare possent. Nos sane ex talibus vestigiis ad certa momenta historiæ pervenire amamus, taliaque curiose quidem de recentissimis quibusque temporibus conquirimus. Tacitus vero hæc omnino neglexisse videtur; maluit sane alias imagines in natura hominum, in tenore et ductu solito rerum, inque vera actionum humanarum via reperire, repertaque ex suo potius, quam ex istis raris et obscuris vestigiis colligere et componere.

Fasti, Annales, acta diurna, Senatusconsulta, tabulæ publicæ.

Fasti, qui unus fons rerum olim gestarum erant, quique tum omnem rerum Rom. memoriam continebant, continuabantur ii quidem; multumque deliberabatur, **) quid illis inferendum foret. Sed quoniam non nisi publice instituta, triumpho, ludi, magistratuum series, aliunde jam notissima, nulla causarum vel affectuum habita ratione, iis inferbantur, Tacitus saltem inde, præter Consulium et magistratuum annos et nomina, nihil in suam historiam transferre poterat.

Acta diurna senatus insignem omnino consiliorum, morum immo vitæ et agendi rationis virorum principum, et ad rem publicam admissorum exhibuissent copiam historico, si semper animi sentia, vere dicta, et acitata præ se tulissent. Species aliqua talis integritatis et curæ reperitur, ***) *nihil de Postumi cade Tiberius apud senatum differuit: patris jussa simulabat.* Iterum: Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio, nullo insigni officio functam. ****) Verum in externis subsistebant hæc acta; vel si animorum motus et mentem

*) Hist. III, c. 74. **) Annal. I, 15. ***) Annal. I, 6. ****) Annal. III, 3.

tem tangerent, ipsa istius ævi vitia, studium partium, adulatio, metus, humilitas animorum tum præerant istis actis consignandis: neque quod honestum verumve esset, inde disceres, verum solum quod necessarium et tutum dictu.

Manebat quidem, ut notum est, forma rei publicæ. *Tiberius* *) non primo solum ad imperium accessu, et ambiguus adhuc imperandi, cuncta per consules incipiebat, tanquam vetere re publica. Ipsæ adeo reorum causæ, quos principes percellere vel suppliciis afficere vellent, in senatu adhuc agebantur. Pro tot obviis exemplis unam Tiberii professionem afferamus: **) „Tiberius, quæ in Silanum parabat, quo excusatus sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti, de Voleso Messalla, Asiæ Proconsule, factumque in eum senatusconsultum recitari jubet.“

Res adeo ad domum Augustam pertinentes sententiis senatoriis et senatusconsultis tum temporis peragi videbantur. Sic ***) Augustus multa sevaque de moribus Agrippæ Postumi questus, ut exsilium ejus senatusconsulto sanciretur, perfecerat. „Sed uti jam Augustus perfecisse dicitur; sic Tiberius, quæ circa Agrippinæ, et Germanicæ prolis interitum per senatusconsulta confieri deberent, ipse scilicet cuncta non tantum flexit, sed et effecit. Igitur res in senatu quidem propositas, sed nequaquam a senatu actas continebant istius temporis SConsulta; solius principis voluntas, et patrum obsequium perscripta ibi iri repertum probe vidit Tacitus. Exstabant præterea literis multa consignata, quas tabulas quasdam publicas recte diceres. E. g. *Augusti testamentum*, quod per virgines Vestales curiæ illatum, igitur caste habitum, etiam sancte, quis dubitat, posteritati fuerit transmissum ****) Exstabat libellus Augusti manu perscriptus, quo opes publicæ continebantur, quantum civium, sociorumque in armis: quot classes, reges, provinciæ, tributa, aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. *****) Insigne sane conscribendæ historiæ fundamentum, si quotannis sic status, quem nos vocamus, totius imperii fuisset consignatus. Sed quoniam non nisi post mortem Augusti fuerat prolatus libellus, præteriti igitur temporis res continebat; quoniam Augustus ipse huic libello consilium addiderat, cœercendi intra terminos imperii, quod aliis metum, aliis invidiam Augusti arguere videbatur, quisque sane intelligit, hoc inter arcana imperii fuisse habitum, et si quid tale imperante Tiberio, qui vel in certissimis rebus tectus videri amabat, fuisset conscriptum, nequaquam sane cum senatu, cum alio quo cive, præter principes, foret communicatum. Sane

D

in-

*) Annal. I. 7.

**) Annal. III. 68.

***) Annal. I. 6

****) Annal. I. 8.

*****) Annal. I. II.



invidiam et suspiciosum Tiberii animum ex illis, quæ sibi scriberentur non multa ejusmodi sponte et sua voluntate aliis et posteris reliquisse censeamus. Turbæ circa exitus sequentium imperatorum, direptiones in ipsa urbe, incendium Capitolii, bella civilia in urbe gesta multa ex relictis adhuc abstulisse videntur. Quamquam jam metum temporum istorum, tædium rerum præsentium et sollicitudinem privati cujusque, quæve alias posterorum quoque curam posthabere suaderent, non multa relinquere voluisse putemus. Exstabant tamen et a Tacito adhibebantur multa edicta principum, et literæ publice datæ. Adeo sollicite Tacitus ista collegit, adeo religiose inde cunctas res in historiam vel annales transtulit, ut videamus, ab isto ne ea quidem neglecta fuisse, quæ vel parum momenti ad posteritatis memoriam, ne vim quidem ad lectorum animos movendos vel retinendos haberent, quæve splendescere unquam posse in sua narratione merito desperaret. Exemplo fit historia alicujus ignoti, qui pro Druso Germanici filio haberi, et eo nomine turbas, si posset, excitare voluerat. De quo Poppæus Sabinus ad Tiberium retulerat: “*) se peragrata Macedonia provincia, Græciæ oram lustrasse; Nicopolin, Romanam coloniam ingressum, id demum cognovisse, sollertius istum (qui pro Druso se venditaret) interrogatum, quisnam foret, dixisse M. Silano genitum: multis sectatorum dilapsis, ascendisse navem, tanquam Italiam peteret.” Integer et a ficto falsoque averfus Taciti animus tum addit: neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus.” Quicquid igitur in litteris talibus ad imperatorem vel senatum a ducibus datis, quicquid in edictis principum ad civium vel provinciarum notitiam pervenisse sciebat, id posteros quoque ignorare volebat. Quæcunque Jul. Cæsar de Britannia, quam Romanis aperuit, sane non contemnenda in commentarios retulerat, ea non curare videtur, quicquid vero præfecti et Proconsules ejus, quod describit, avi, per omnes annos de ista insula, deque rebus a se ibi gestis Romanam publice perscripserant, id adeo diligenter in Agricolæ vitam **) transtulit, quasi de manu in manum ad posterorum memoriam transmittendum sibi foret commissum. Hinc Tacfarinatis historiam bellumque per plures annos ductum adeo profequitur, ut qui non ducum relationibus edoctus, sed coram interfuisse rebus gerendis videretur. Hinc Drusi et Germanici expeditiones quanquam annalibus tantum inclusæ, hanc vim ad lectorum animos habent, quasi omnia coram videas, quoniam ab iis, qui interfuerant, relata ante oculos habebat Tacitus. Hinc commemoratio eorum, quæ Titus Vespasianus in Judæa, alii in Armenia, inque Parthorum

*) Annal. 5, 11.

**) c. 13-17.

thorum finibus gesserant, longe certissima est et accuratissima. Res in finibus imperii gestas et remotas igitur satis fideliter transcribere poterat Tacitus. Sed unde res domi gestas, et virorum urbanorum facta et dicta cognoverat? Exstabant multa principum edicta, quibus animi sensus, vel quæ de se existimari vellent, cum populo communicabant; quibus populi cogitationes regere, mentes ipsas modo flectere modo fallere volebant. Tali edicto *) Tiberius non tantum senatum in decernendis Augusto honoribus moderare instituit, sensuque modesto, quem spirabat edictum, sui ingredientis imperium spem gratam excitari voluit; eandemque speciem moderationis, quam Tacitus tamen adrogantem **) vocat, retinens populum monuit, ne immodestiam olim significatam jam repetere vellet.

Orationes, epistolæ, sermones, rumores.

Exstabant tot orationes in senatu habitæ. Quum tot legationes regum ***) , civitatum *****) , exterarum gentium audirentur, iisque respondendum esset. Causæ etiam omnes graves et capitales in senatu actæ et orationes ad genus judiciale pertinentes in senatu non secus ac olim in judiciis notis exceptæ vulgo edebantur, vel in actis senatus aservabantur. Sententiæ quoque in senatu dictæ; si ab ingenio, a sensu aliquo honesto, nobili commendarentur, si acerbitate aliqua vel odiis inde excitatis fuissent celebratæ, servatæ in actis senatus, ad posteritatis memoriam perveniebant, inque historiam abibant *****). Imperatores ipsi solliciti erant, ut orationibus modo accurate habitis, modo fictis atque artificiose compositis cuncta sua consilia, quæque nova et insolita susciperent, qua ratione et arte possent, commendarent. Augustus *****) Tiberio tribuniciam potestatem rursus postulaturus, *quanquam honora oratione quædam tamen de habitu vultuque et institutis Tiberii jecerat, quæ velut excusando exprobraret.* Tiberii orationes multas exstitisse videmus, quibus consilia sua exponeret, factorumque et institutorum redderet rationem. Mittimus orationes tum temporis ad milites habitas, quas quasi ex historiæ lege unice ingenio historicorum deberi contendere fas sit. Urbanas saltem conciones hic memoramus. Quid attinebat fingere argu-

D 2


mentum

*) Annal. I. 7. **) Annal. I. 8.

***) Responsum a Cæsare (Tiberio) Maroboduo profugo. — Exstat oratio qua magnitudinem viri — — suaque in destruendo eo consilia extulit. Annal. II. 63.

****) e. g. Græcarum de asylis.

*****) Ex inumeris ejusmodi sententiis invectivas inter se Helvidii Prisci et Marcelli Eprii hic memorasse sufficiat. Tacit. Hist. III, c. 7. 8. *****) Annal. I. c. 10.



mentum aliquod exile, nudum, aridum, idque ori Vitellii jam luxu per-
diti, exercitusque maxima parte exuti, id tribuere? Tacitus tamen *)
sibi religioni ducit omittere illud, quod oratione, et responsis patrum
quæ adhuc legerentur, inclusum conservaretur. *Mox senatum, composita
in magnificentiam oratione, allocutus, exquisitis patrum adulationibus tollitur.*

Retinebat quippe studiose, et amabat senatus et populus hanc unam
majestatis umbram, ut principum oratione, etiamsi ficta et fallaci, tamen
sibi quis honos haberi videretur. Comitia sibi eripi populus facile patie-
batur, dummodo ex principis ore, qui pro Consule jam facto quasi peteret
et prenferet, publice aliquid de Candidato dictum aures vulgi circumstre-
peret; easque orationes sedulo asservatas fuisse, et Candidati gloriae
studium, et gratia ad vulgos quæsitâ nobis spondent, idque testatur hi-
storia. **)

„De comitiis consularibus, quæ tum primum illo principe, ac dein-
ceps fuere, vix quidquam firmare ausim: adeo diversa, non modo apud
auctores, *sed in ipsius orationibus reperiuntur.* Modo, subtractis, can-
didatorum nominibus, originem cuiusque, et vitam, et stipendia de-
scripsit, ut, qui forent, intelligeretur: aliquando, ea quoque significa-
tione subtracta, candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, su-
am ad id curam pollicitus est: plerumque eos tantum apud se professos
differuit, quorum nomina consulibus edidisset: posse et alios profiteri,
si gratiæ, aut meritis confiderent. Speciosa verbis, re inania, aut sub-
dola: quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura
ad infensius servitium.“

Exstabant quoque laudationes funebres, quæ meritis, vitæ, vel no-
mini vita functorum concedebantur. Qui etsi de mendaciis istis, quorum
jam a Cicerone accusantur, sane Tiberianis et sequentibus temporibus ni-
hil remississe sint censenda, historico tamen id præstabant, ut inde
genus, stirpem, cognationem, honoresque non tantum mortuo, sed eti-
am genti ipsius tributos cognosceret. Inde morem illum Taciti expli-
care equidem non a re absolum pronuntiem, quod genus, parentes, ju-
ventutis studia, et qua via quisque ad istam famam vel infamiam pervene-
rit, fere semper non nisi memorato demum cuiusque exitu e vita, expo-
nat. Excitatus enim laudationum funebrium more, tum privatam cujus-
que vitam ex istis quasi gentilitiis commentariis, repetit, quos cognati et
hæredes cupide ultro, vel ab historico invitati submittebant. ***)

Epi-

(. Hist. III. c. 37.

**) Annal. I. c. 81.

***) Ut de C. Plinii exitu ex epistolis Plinii minoris scimus.

Epistolas quoque, quasi tot oratiunculas absentium missas ista ætas quam plurimas vidit. Istis non tantum Consules ceterique magistratus, et omnis senatus referre ad absentem principem, quæ ejus cura digna esse viderentur, sed iisdem etiam a principibus res urbis et imperii proponebantur, negotia instituebantur, consilia et rationes flectebantur. Si juveni alicui principi magistratus esset petendus, Tiberius ipse, quanquam adrogantissimus, litteras misit ad senatum *). Non secus princeps ille juventutis in epistola sensum suum sua et consilia senatui aperuit **). Vitellius ipse, jamjam imperator matri Sextiliæ sane non probanti ejus superbiam, epistolas multas excusabundus quasi scripsit. ***) Imperia vel crudelissima, et omnium libertatem excludentia, tamen populari quadam epistolarum forma quasi lenita senatui aperiiebantur. ****) Ex ævo literarum sane abundante si non omnes ad senatum missæ epistolæ fuerint conservatæ, plurimas tamen ab historico curioso reperiri legique potuisse id manifestat, quod forma aliquarum, argumentaque inania, communia cum gravioribus mixta, inde referantur, qualia quidem finxisse non tanti, non ingenii auctoris rerum esse videretur.

„Tiberius ***** ludibria seriis permiscere solitus, egit gratis benevolentia patrum: — — *lisdem *****) literis* Cæsar Sextium Paconianum, prætorium, perculit, magno patrum gaudio.“ „*Superque ea* re senatui scripsit, levi cum honore juvenum (Germanici filiabus desponsorum). *Deinde* redditis absentia causis — *flexit ad graviora.*“ — —

Talia non fingit ingenium, sed sollertia historici testimonia conquirentis hæc vidit, et reperit. Quam insignia ex talibus epistolis adjuncta historicus capere potuerit, quum mores et mentem ipsam virorum rem publicam administrantium pingere vellet, exemplo sint non tantum Augusti et aliorum a Suetonio servatæ literæ, sed et notatu digna ista, et in omne ævum memorabilis Tiberii ad senatum epistola. *****) Amicum suum Cottam apud senatum defendendum susceperat: „Insigne visum est earum Cæsarum literarum initium. Nam his verbis exorsus est. Quid scribam vobis P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deaque pejus perdant, quam perire me quotidie sentio, si scio.“

E

Nulli

*) Annal. III. c. 57.

) *ibid.* c. 59.*) *Hist.* II. c. 64.****) *Hist.* II. c. 63.

*****) Annal. I. 3.

*****) Quid attinebat, Tacitum hæc iisdem literis tribuere, si non exemplar ipsarum ante oculos habuisset?

*****) Annal. VI. 6.

Nulli dubitemus vero, epistolarum tum usum in urbe et inter cives fuisse frequentissimum, si reputamus in castris ipsis conciones tum non frequentiores fuisse, quam quidem epistolas. Mittimus hic epistolas a variis ducibus, variarumque partium defensoribus inter se datas; quales ereberrimæ ab Othone ad Vitellium, itidem Vespasianorum et Vitellianorum ducum inter se datæ extabant. *) Neque huc referimus istas epistolas, quas necessitate quadam expressas, ut mandata aliqua literis consignata duces ad legatos dabant, quales semper dare coacti fuerunt, quorum exercitus non in unum locum erat contractus. Quamquam et hæ epistolæ, si ad posteritatis memoriam pervenerant, insigne momentum ad res exponendas historico afferre potuissent. Verum tempora illa posebant aliud genus commercii et consuetudinis. Cunctis in castris et provinciis non secus ac Romæ inter pratorianos erant studia varia; pro castrensi modestia regnabat ambitio; suffragia sua milites modo vendebant, modo donabant; unaquæque castra quasi senatum et populum quendam efficiebant, qui non raro de summis rebus decernere suum esse putaret. Hinc militum animi ab absentibus per literas non secus ac plebis animi olim concionibus erant flectendi. Hinc Tiberitis antequam nomen principis et Augusti in senatu capesseret, non cunctabundus ad omnes exercitus literas tanquam adepti principatu misit. **) Hinc Drusus ad Pannonicas legiones obsequium recusantes missus non modo ipse in concione alloquitur milites, sed literas patris, (Tiberii) accurate, copiose, et ut milites ***) accipiebant, insidiosè scriptas, legebat. Simili ratione, quanquam alio consilio inde ex Syria ad omnes legatos et exercitus scriptæ erant a Vespasiano epistolæ. ****) Hinc Vitelliani milites ducum utriusque partis epistolas sibi legi, et ex earum argumento et sermone decernendum sibi esse putabant, cujus partes vigerent, ubi vires, robur, et animi essent. *****) Jam inde recitatæ pro concione epistolæ addidere fiduciam illis, qui ad Vespasianum inclinarent, quoniam duces harum partium ut in victoriæ superbia contemptim, Vitelliani vero scripserant submisse. Sic Hordeonius *****) dux missas a Vespasiano ad hiberna legionum Gallicarum et Germanicarum epistolas, multiplicatis exemplaribus singulis cohortibus vel vexillis ab aquiliferis legi iussit. Quin duces earundem partium non raro sibi invicem obtrectabant, perque epistolas suos milites ad judicandum de adversariis excitabant. *****) Tandem etiam exercitus, et legiones inter se non modo missis fidis nonnullis

*) Hist. I. c. 74. 75. Hist. III. c. 9. c. 13. **) Annal. I. c. 25. ***) Annal. I. c. 7.

****) Hist. II. c. 82. *****) Hist. III. c. 9. *****) Hist. IV. c. 25.

*****) Hist. III. c. 52.

nullis nuntiis consilia communicabant; sed modo Germanicus exercitus ad legiones Pannonicas epistolas miserat *) modo Mœsicae legiones eundem Pannonicum exercitum per epistolas alliciebant, **) modo Prætorianæ urbanæque cohortes similibus literis sollicitabantur. ***) Immo usque ad extremos imperii Romani fines temporum istorum scribendi cacœthes sua venena, vel medicamina spargebat. ****)

„Procurator Pannoniæ Cornelius Fuscus movere et quatere, quidquid usquam ægrum foret, aggreditur. *Scriptæ in Britanniam* ad quattadecimanos, *in Hispaniam* ad primanos epistolæ, quod utraque legio pro Othone adversa Vitellio fuerat. Sparguntur *per Gallias literæ*: momentoque temporis flagrabat ingens bellum.“

Neque non ad duces hostium Romani nominis nonnunquam mittebantur ab exercitibus partis alicujus literæ. *****)

Non omnes tamen istas epistolas interiisse putes. Historico, cui non tantum suspicio quadam istarum epistolarum erat injecta; sed qui sedes et domus vel tabularia noverat, ubi asservarentur, officium novum erat objectum, talia conquirendi, et ex his arcanas quoque rationes, et stimulos mentibus injectos memorandi. Quot libellos igitur legere cogebatur historicus, cui ut nostro omnia, quæ ubivis acciderant, et quomodo effecta fuerint, scire et cum lectoribus communicare in animo esset? Invaluerat tum quoque mos cuncta per libellos ab Imperatoribus petendi. Non modo diuturna Tiberii absentia necessitatis quadam lege civibus injunxerat, ut, quem coram non possent, per literarum ambages ambirent; sed cum ipsa libertate ratio loquendi cum principe etiam interire; orientalium regum more semotus quippe a rebus humanis et civilibus videri, ita ut coram alloqui religio esse; cuncta igitur epistolæ, quæ sola non erubesceret, neve metueret, vulgo mandari. Tum non tantum Consules quotidie per literas ad Cæsarem referebant; quibus relationibus quum Tiberius rescriberet, ingens sane inde scriniarium accrevisse putemus. „Tum quoque Capioni Crispino *****) formam vitæ ineundi locus erat, quem inde celebrem miseriæ temporum fecerunt. Nam egens, ignotus, iniquus, dum *occultis libellis* sævitix principis adrepat, mox clarissimo cuique periculum facescit, *dedit exemplum, quod secuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi fierent.*“ Malum tam pragnans literarum, locum dabat, ut omnium, qui Tiberio suspecti vel Sejano impedimento essent, e. g. Drusi Neronis, Agrippinæ, multorumque aliorum insignium, facta

E 2

non

*) Hist. I. c. 67.

**) Hist. II. c. 85.

***) Hist. I. c. 74.

****) Hist. V.

*****) Hist. III. c. 13.

*****) Annal. I. c. 74.

non tantum neque dicta, sed ab *additis* cuicumque *custodibus*, etiam *nuntii*, *introitus*, *aperta*, *secreta cuncta velut in annales referrentur*, et quotidie ad Cæsarem mitterentur. Longe major adhuc copia literarum ex hac superbia Principum enascebatur. Per literas quippe cuncta tum cives et privati quivis non secus ac si exteri et alienisimi fuissent, expetebant; quæ literæ per milites, vel corporis quosdam custodes commeabant, quarum tum familiares et intimi amici Cæsarum fere sese fecerant arbitros *). Ut uno tantum exemplo ostendamus, quanta inde literarum moles existere potuerit, audiamus nostrum. **) „Plures quam *CXX libellos* præmia exposcentium, ob aliquam notabilem illa die operam *Vitellius postea* invenit: quorum auctores conquiri et interfici jusfit.“ Raras antea in castris fuisse literas conjicias, militibus porro, præcipue inter bella civilia coram Imperatore adeundi, vel per suos tribunos et legatos beneficia vel præmia repositi larga facultas erat; et tamen ob operam una die in urbe navatam centum viginti amplius literæ exoptulantes in manus Imperatoris pervenerant, et quamquam infamiae fere testes fuerint, tamen a fautore talium facinorum quasi in tabulario erant asservatæ. Quum vero Sejanus ipse adeo in maxima cum Tiberio familiaritate, in rebus ad se pertinentibus, per codicillos animi sensa proderet, *Moris quippe tum erat, Principem, quamquam præsentem scripto adire*, ***) quid ab omnibus, qui ubivis per orbem Romanum sparsi erant, civibus litterarum tum quidem conscriptum putas!

Talium vero literarum, quæ ab aliis auctoribus, si, qui eas scripserant, non nobilissimis viris essent accensendi, forent neglectæ, Tacitum curiosum fuisse, indeque multa hausisse, ipsius verbis credamus. ****) „Neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa —, dum copia fatiscunt, aut quæ ipsis nimia et molesta fuerunt, ne pari tædio lecturos adficerent, verentur. *Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.*“

Hoc indefesso latitantia vel ab aliis neglecta protrahendi studio sine dubio eo pervenit, ut adeo *commentarios Agrippinae filiae*, quibus hæc *Neronis principis mater*, vitam suam et casus suorum posteris memoraverat, inspiceret; et inde sermones inter matrem et Tiberium, alias arcanos habitos, enuntiaret. *****)

Quin literarum matris Tiberii ad ipsum datarum, mentionem facit. Nonne quoque Sejani ipsius secretissimarum literarum, adque eas a Tiberio

*) Annal. I. 4. c. 41.

**) Hist. I. 44.

***) Annal. 4. 39.

****) Annal. 6. c. 7.

*****) Annal. I. 4.

rio responforum / exempla oculis lustravisse, manibus voluisse videtur? *) Literas porro a Tiberium a Lentulo Gatulico ex ipsa **) Germania datas, fiducia immo minarum plenas, quas quippe Tiberius, dum viveret, non evulgari, vix omnino conservari sivit, nostro inspicere contigerat.

Sic ad ipsa igitur domus Augustæ arcana penetravit.

Singulari modo sibi curæ habuit, ut ultima principum, extrema eorum acta et dicta rescisceret. Num a senibus, qui iis interfuerant, quotus vero quisque iis diu fuerat superstes, hæc perceperit; num traditione qua accepta, pro certo compertis, qui alias tamen non ejus mos est, cum lectoribus communicaverit, dubites. Concedamus, facile fuisse cognoscere Othonis extrema, tot testibus nobilitata, neque adeo ab auctoris vita annorum spatio remota. Augusti autem & Tiberii finis, quem uterque non Romæ, verum in Campania invenerant, quique data opera celeretur, quomodo Tacito ita innotuerit, quasi qui interfuisset, ipse non habet dicere. De isto: Hæc ***) atque falia agitantibus gravescere valetudo Augusti. *Et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat*, paucos ante menses, Augustum, electis consociis & comite uno, Fabio Maximo, Planasiam vectum, ad videndum Agrippam: quod Maximum uxori Marcie aperuisse, illam Livie; gnarum id Cesari, neque multo post, extincto Maximo, *auditos* in funere ejus Marcie *gemitus*, semet incusantis, quod causa exitii marito esset.“

Videas illum nihil, quod referat, comperti habere, nisi quod in tali re famam et auditiones requirenda sibi putet, quin significationes quasdam tectas, susurrus, gemitus, vultus adeo qui observarint, sibi audiendos ducat. Similia prorsus sunt, quæ de Tiberii exitu refert: „Gnarum ****) hoc principi, eoque *dubitavit* de tradenda rep. inter nepotes: etiam de Claudio *agitantis*, imminuta mens ejus obstitit. Sin extra domum successor quæreretur, — *metuebat*. „*Mox incertus animi*, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit: *jactis tamen* vocibus, per quas intelligeretur *providus* futurorum.“ Tum eorum, quorum intererat, successorem in promptu habere studia reputes, quomodo ex deficiente Ti-

F


berio

*) Annal. IV. c. 39.

**) Annal. VI. c. 30. Diu forsân jam lector quis attentior observavit, me ne unum quidem locum ex libello Taciti de Germaniæ situ et moribus excitasse, neque quibus rivulis ad fontes pervenerit, unde res Germaniæ caperet, expedivisse. Verum relinquenda ista omnino videbantur prolusioni, quam L. Væstel vir cl. de fontibus edidit, unde Tacitus, quæ de patria nostra tradidit, hausisse videtur. Marb. 1788. Quam quidem prolusionem mihi, etiam atque etiam desideranti, videre non contigit.

***) Annal. I. c. 5.

****) Annal. VI. c. 46.



berio elicerent, quantulum sibi spatii ad vivendum relictum crederet: *tum creditus est mortalitatem explevisse*, et ut non falso atque ad perniciem multorum creditus videretur, *oppressus*, et, omnibus discedentibus, *derelictus*.“ Neque certius quid de Galba: cuncta tamen, utut erant, quæ unquam essent audita, refert. *) „Extremam Galbæ vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii, suppliciter interrogasse, quid mali meruisset? paucos dies exsolvendo donativo deprecatum: plures, obtulisse ultro percussoribus jugulum, agerent ac ferirent, si ita e publica videretur. Non interfuit occidentium, quid diceret. De percussore non satis constat. Quidam Terentium Evocatum, alii Lecanium; *crebrior fama* tradidit Lamurium XV legionis militem, impresso gladio, jugulum ejus hausisse.“ Non tantum extremæ voces principum excipiebantur, sed quæcunque in re aliqua gravi jactassent, quibusque suos mores prodidissent, ea ex rumore, nullo auctore adhibito, refert Tacitus. *Quin et audita est scvissima Vitellii vox, qua se, ipsa enim verba referam, pavisse oculos, spectata inimici morte, jactavit.*

In multis quippe rebus, quas æquales vel proximi ætate literis mandare non audebant, quarum igitur auctores, et testimonia deerant, rumores adeo sequi necessarium erat. Nonnunquam ex rumore accepta distinguit a traditis per certos auctores: „In tradenda morte Drusi, quæ plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, retuli: *sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo, ut nondum exolescat.*“ **) Illorum omnino rumorum rationem non poterat non habere, qui pervulgati erant, qui diu obtinuerant, quos res notæ et memorandæ fuerant consequutæ.“ ***) Nihil tamen Tiberium magis penetravit, *quam studia hominum accensa in Agrippinam; — — Fuere, qui publici muneris pompam requirerent compararentque, quæ in Drusum — cumulata.*“ Quippe hæc nusquam perscripta fuerant, sed historiæ tamen momentum aliquod efficiebant, uti in rebus agendis vini magnam habuerant. „*Gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi sermones, monuit edicto.*“

Aliud exemplum legimus in extremis Galbæ rebus. ****) „Matu-
ravit ea res (seditio in Belgico erumpens) consilium Galbæ de adoptione secum et cum proximis agitantis. *Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat*, primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa jam ætate Galbæ. Paucis judicium aut reipubl. amor: multi occulta spe, prout quis amicus, vel cliens hunc vel illum *ambitiosis rumoribus* destinabant.“

Per

*) Hist. I. c. 41.

**) Annal. IV. c. 10.

***) Annal. III. c. 4. 5. 6.

****) Hist. I. c. 12.

Per traditionem igitur de rumore, qui olim Romæ fuerat divulgatus, ad Tacitum nonnunquam fuisse relatum putemus. Sæpe vero illum, qui, ex nomine historicis tum indito, *rerum auctor* esset, rumoris talis quoque fuisse auctorem putes, ita ut id, quod ipse opinaretur vel iudicaret, aliis pro opinione vel sermone tribueret. Si causa alicujus rei esset reddenda, ipse quippe animadvertere, mentem intendere, seque in rem ipsam toto animo referre. Hoc se in physicis fecisse, et sic ad magis probabilem rei vel eventus alicujus explicationem pervenisse, ipse fatetur. Quum de exustis igne cœlesti regionibus circa mare mortuum variorum relationes vel opiniones commemorasset, addit tandem: *) ego sicut incitas quondam urbes igne cœlesti flagrasse *concesserim, ita* halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum & autumnii putrescere *reor.*“

Iterum de Oceano opiniones aliorum referens e suo palam quid addere amat: **) „Sed mare pigrum et grave (ultra Caledoniam Septentriones versus) remigantibus perhibent: ne ventis quidem perinde attolli: *credo*, quod rariores terræ montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur,“ et postea de longis Borealium regionum diebus: Quodsi nubes non officiant, adspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exurgere, sed transire affirmant *Scilicet* extrema et plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras, infraque cœlum et fœdera nox cadit.“

Mirum videri possit, quod in physicis, quippe in alieno versatus, suam ut iudicis quasi ad decidendum ingerat personam, quum in rebus ad hominum mores et naturam pertinentibus ipse apparere nolit, verum quæ ipse cogitarit, iudicarit, aliorum quasi ex ore referat. Verum in divinis rebus, quum ipse ex scrutatoris naturæ persona loquebatur, non veritatem & unitatem narrationis turbasse sibi videtur; in humanis contra rebus non nisi veritatis ipsius testimonium referre, fas esse ducit. Etiam si igitur quam maxime ingenio indulgeat, tamen ingenium suum, suum iudicium interponi non vult. Historicus ipse ut rationes deducens, iudicans, decernens nullibi apparere, personæ vero, quas quodque ævum tulerat, solæ loqui, agere, omnia in omnibus esse. Etiam si conjecturæ tantum adduci possent, has conjecturas tamen æqualibus, non sibi tribuit. ***)

„Prorogatur Poppæo Sabino provincia Mœsia, additis Achaia et Macedonia. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac plerisque ad finem vitæ in iisdem exercitiis, aut jurisdictionibus habere.

F 2

Causæ

*) Hist. V. c. 7.

**) Agric. c. 10 et 12.

***) Annal. I. c. 80.



Caussæ variæ traduntur: *alii* tædio novæ curæ semel placida pro æternis servavisse: *quidam* invidia, ne plures fruerentur, *sunt, qui existiment*, ut *calidum eius ingenium*, ita anxium iudicium, neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursus vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat, qua hæsitacione postremo eo provectus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus.“

Uti quisque, in quacunq[ue] conditione quocunq[ue] loco positus, suæ naturæ convenienter se gesserit, id quidem ex hominum natura, rebusque externis ipse Tacitus conjiciebat, & secum perpendebat; quum narrationi vero esset includendum, tum, ut historiæ fides servaretur, testibus quibusdam, quippe qui hæc viderint, id tribuit, quod forsan non nisi in Taciti imaginandi vi exstiterat. E. g. „*Pisonem* (oratione gravi et honorifica a Galba adoptatum) *ferunt, statim intuentibus, et mox conjectis in eum omnium oculis*, nullum turbati aut exsultantis animi motum prodidisse.“

*) Sic scilicet decere ejus personam Tacitus probe viderat.

Quamquam igitur tot monumenta antecedentium temporum, tot tabulæ publicæ, tot singulorum libelli, epistolæ, commentarii in privatis domibus asservati, tam pervulgatus et diu sustentatus rumor, argumentum omne historiæ Tacito suggerere potuisse videantur, credamus tamen, eum ex ista farragine indicia quidem, et externas significationes omnes desumfisse, internam vero hominum naturam, tecta animorum, causas, modum, quo quæque res gesta esset, videri sibi ipsi finxisse.

Otium illi, per imperium Domitiani necessario impositum, facultatem dederat cuncta ista tacite colligendi. Nerva, tum et Trajanus illi concesserant, ut procederet, et homines, quales in rebus civilibus in curia, in aula se manifestant, cognosceret; tum senex se totum in antiquum ævum, quod sibi describendum sumserat, retulit; tum ex vestigiis, quæ collecti a se aliorum libelli indicarant, sibi animos hominum, sibi modum & ductum rei quam maxime naturæ convenientes, meditando, colligendo, comparando efformavit: tum denique quemque agentem, loquentem induxit, vim vitamque narrationi addidit.

Sic ratiocinationes, et judicia enascebantur, quæ vel antiquioris Augustani ævi hominibus tribuenda sustineret; **) „Igitur verso (post Actiacam pugnam) civitatis statu, nihil usquam prisce et integri moris: omnis, exuta æqualitate, iussa principis aspectare: nulla in præfens formidine, dum Augustus ætate validus, seque, et domum, et pacem sustentavit.

*) Hist. XI. c. 12.

**) Annal. I. c. 4.

tavit. Postquam provecta jam senectus, ægro et corpore fatigabatur, aderatque finis, et spes novæ: *pauci bona libertatis incassum differere, plures bellum pavescere, alii cupere: pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam — — Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia.* Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps, et vitæ supremus — — At *apud prudentes* vita ejus varie extollebatur, arguebaturve. Hi pietate erga parentem, et necessitudine Reip. in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum. — — *Dicebatur* contra, pietatem erga parentem, et tempora reip. obtentui sumtâ: ceterum cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos — — “

Sic etiam descriptiones rerum atrocitate sua animos percellentium: (* „*Quadraginta armatorum millia irrupere, calonum lixarumque amplior numerus, et in libidinem ac sævitiam corruptior. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus supra cædibus, cædes stupris miscerentur. Grandævos senes, exacta ætate feminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapiantium divulsus, ipsos postremo direptores in mutuum perniciem agebat. Dum pecuniam, vel gravia auro templorum dona, sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia aspernati, verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere.*“

Quisque hæc ita accidere potuisse, sentit; num vero ex antecedentis alicujus scriptoris narratione, an ex nostri imaginatione fluxerint, Quinctiliani de amplificatione præceptum, quod sane nemo rerum talium narrator tum spernendum sibi duxit, præceptoque additum exemplum, dubium reddere videtur. **) „*Sic urbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim, qui dicit expugnata[m] esse civitatem, complectitur omnia, quæcunque talis fortuna recipit: sed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At si aperias hæc, quæ verbo uno inclusa erant, apparebunt et fusæ per domos ac templa flammæ, et ruentium tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohærentes, et infantium feminarumque ploratus, et male in illum diem servati fato senes: tum illa profanorum sacrorumque direptio, efferentium prædas repetentiumque discursus, et acti ante suum quisque prædonem catenati, et conata retinere infantem suum mater, et sicubi majus lucrum est, pugna inter victores.*

G

Licet


*) Hist. I, c. 3.

**) Quinct. instit. L. VIII, c. 3.



Licet enim hæc omnia complectatur everfio, minus est tamen totum dicere quam omnia. Consequemur autem, ut manifesta fint, si fuerint similia: et licebit etiam falso adfingere, *quicquid fieri solet.*“

Hic scriptores fere æquales eundem campum esse nactos vides, quorsum acris ingenii et imaginandi vis excurrere possit, castiorem tamen rhetore historicum, et magis leges historiarum retinentem non sine iudicii et sensus ejus admiratione videre est.



I.

JOH. HENR. LVDOV. MEIEROTTO.
RECTOR ET PROFESSOR GYMNASII.

Curforiam, quam vocant, lectionem a civibus *primæ Latine clasfis* potissimum jungi statariæ, e re provectorum duxi. Primum quam plurimos locos nobiliores, ex Ciceronis libro *Brutus* inscripto, et ex reliquis Ciceronis operibus, selectos, ut suo studio legerent, et ad quæ postea argumenta, ex ingenio, adaptarent, illis indicaveram. Optimorum tum aureæ ætatis auctorum notitiam illis comparandam duxi. Legerunt sic excerpta historicorum, et oratorum antiquorum; porro ex Lucretii, Catulli, Cornelii Nepotis, Varronis operibus; et tandem orationes Ciceronis pro C. Rabirio Postumo, pro M. Marcello, et pro Q. Ligario. Stataria opera legerunt Horatii carmina libri II. et III. suaviora uti et longiora; legerunt Taciti annales; tum, ita ut Quinctiliani institutiones semper ad manus essent, Ciceronis orationes pro Archia, ad Quirites post reditum, in senatu post reditum, pro Balbo, pro Milone. Octonas omnino horas huic operæ dedimus.

Clasfis Latina secunda, quæ nonnunquam etiam primæ esset juncta, in Virgilio georgicis legendis bis, me præeunte, fuit versata.

Clasfis rhetorica secunda exemplis in haud ita pridem a me edito libro (Abschnitte — zu einer Anseitung der Wohlredenheit, besonders im gemeinen Leben geordnet) sedulo perlustrandis bis operam dedit; neque illi in recensendis argumentis variis, sermone ad ista exempla efformando exaratis, opera mea defuit.

II.

JACOBVS NAUDÉ
V. D. M. THEOL. PROF.

Cum S. S. litterarum studiosis, scholas Theologiæ *bis* per hebdomadem, qua potuit fide et diligentia habuit, et tantum non integrum cursum ad finem perduxit, brevem introductionem criticam in Vet. ac Nov. Testamentum additurus, si Deus vitam viresque concesserit. Id semper spectavit, ut auditoribus inculcarer, Religionem Christi esse *χαριτα σωτηριον*, veramque Philosophiam, ad animi quietem salutemque ducentem, si eius dogmata vel ab impietatis calumnia et criminationibus, vel a superstitionis et falsæ interpretationis labe pura

et defæcata, talia qualia sunt, bene percipiantur, et recte tradantur. Id enim esse medium unum et præcipuum, cœlestem hanc doctrinam, contra Naturalismi et falsæ Philosophiæ, æque ac contra Superstitionis arma et objectiones, tuendi ac defendendi.

Horum iunioribus, *duabus per hebdomadem* lectionibus *Capita XIV.* extrema *Actorum* et *Evangelii Matthæi* initium; provectoribus, *Epistolas Pauli ad Corinth. posteriorem, ad Galatas et Ephesios* explicuit, genium styli hebraizantis ubique respiciens. In initio *Epistolæ ad Philippenfes* substitit.

Clasfi hebrææ primæ, *Psalms, una*, per hebdomadem hora, a *LXXII.* incipiens ad *LXXXV.* usque explicare perrexit. Clasfi secundæ, præmissa brevi totius Grammatices ratione, quatenus ad vocum analysin et cognitionem necessaria est, *Geneseos capita duo*, et *Psalms IV.* priores enodavit, *duabus* per hebdomadem horis.

Ad Academiam quamprimum abituris, *Encyclopædiam ad ductum Gesneri primarum linearum Isagoges in universam eruditionem*, ad § 226 usque prælegit et explicuit.

Clasfi græcæ primæ, in *Iliade* exponenda et illustranda a libri *XVI 426* exorsus, perrexit, et ad libri *XXI* initium usque pervenit. Extremis mensibus, auditorum votis responsurus, *Theocriti Idyllia XII*, ut *Doricæ* quoque dialecti gnari sint, nec solius principis Poëtarum gustum prælibent, dilucidavit. *Quinque* per hebdomadem huic datæ sunt scholæ.

Clasfi latinæ secundæ, *Ciceronis de Officiis* libris ad finem usque explicatis, denuo eos exorsus et latinitatis, et sententiarum ratione habita, prælegit, illustravit, quin, eos verti curavit, horis duabus.

Arithmeticam denique classem tertiam fractionum rationes docuit, et exemplis quantum eius fieri potuit, horis hebdomadalibus binis, exercuit,

III.

CAROLUS DANIEL TRAUE

PHILOLOGIÆ PROF. ET ALUMN. EPHORUS.

Ordinis tertii latini Coetum priorem undecim per hebdomadem horis cum aliquot fabulas *Metamorphosium Ovidii* explicando, *Mythologiam* inculcando, et *Profodiæ* regulas tradendo occupavit, tum permulta *Auctorum Classicorum* capita ex libro, qui inscribitur: *Præcepta et Exempla recte faciendi, bene dicendi*, cum crebriori usu et exercitatione exposuit, tum stili latini exercitia componi iussit, et diligentiam certando provocavit.

Clasfis propædeuticæ primæ Coetui priori christianæ Religionis principia instillavit, quinque partium orbis terrarum notitiam exhibuit, tertiam partem pro-

progymnasmatum methodo præscripta illustravit, declamantibus aures præbuit, eosque præcepta ad pronuntiationem, vultum atque gestum pertinentia docere haud neglexit. Selectum ex secundo ordine numerum tribus per hebdomadem horis Syntaxi latina exercuit, et regulas exemplis ad imitationem propositis, explanavit.

IV.

IO. FRIDERICVS POPPE

HISTOR. ET GEOGR. PROF. ET BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS.

Clasfis Historicæ primæ civibus historiam præcipuarum Europæ rerum publicarum, binis per hebdomadem horis, enarravit.

In Classe Geographica prima Geographiam et Statisticen, ut vocant, Europæ tractavit.

Cum Clasfis latine secundæ discipulis Ciceronis Vitam, a Gymnasii Rectore, V. C. editam, perlegit.

In Classe latina tertia ex libello: Præcepta et Exempla, recte faciendi, bene dicendi, inscripto, pensum a Superioribus præscriptum, methodo solita, absolvit.

In Classe græca secunda Xenophontis Cyropædiam discipulis suis explicuit.

Una per hebdomadem hora infimæ Clasfis Hebrææ discipulis rudimenta tradidit.

Gymnasii Bibliothecam, quantum per valetudinem licuit, librorum amatoribus aperuit.

V.

HENRICUS PETRUS GRACK

PROFESSOR EXTRAORD. ET ALUMN. EPHORUS.

In Clasfis Propædeuticæ I Cætu II, partem Progymnasmatum tertiam illustravit; orbis terrarum notitiam tradidit; themata et argumenta elaborationum proposuit, elaborata mendis domi purgavit; linguæ vernaculæ institutionibus celeb. Adelungio duce vacavit; Religionis christianæ præcepta ad bene beateque vivendum necessaria inculcavit; Declamatiunculis denique, semel per hebdomadem habitis, præbuit aures.

In Classe Græca III Luciani dialogos XX explanavit et repetiit, nec non Isocratis, Plutarchi, Aeliani, aliorum sententias exposuit, quas, formatione verborum in *ui* addita, memoriæ infigi iussit.

H

Clasfis

*Clasfis Latinæ IV Cætui I varia, e Præceptis et exemplis recte faciendi, bene dicendi, selecta capita explicuit, nec non aliquot auctorum clasficorum sententias, Grammatices simul habita, quantum opus videbatur, ratione exposuit, expositas memoriæ infigendas curavit, et Profodiæ Latinæ regulas tradere non intermisit. Lingua vernacula singulis mensibus quædam calamo excipienda dictavit latine reddenda, vitia commissa notavit et correxit, pensa erroribus liberata reddidit, cuique locum ex merito tribuit. Selecto denique discipulorum numero, *Grammaticæ Latinæ in exemplis*, a celeberrimo Gymnasii Rectore editæ, partem, quæ Syntaxin complectitur, methodo præscripta dedit explicitam.*

In Clasfis Arithmethicæ III Cætui II Arithmetices partem pertractavit, quæ ad fractionum calculos pertinent.

Hisce lectionibus XXVIII per hebdomadem horas impendit.

VI.

FRIDERICVS LEOPOLDVS BRVNN
PROFESSOR EXTRAORD. ALUMN. EPHORUS.

Geographiam et Historiam Romæ et Græciæ antiquæ, Imperii germanici Statisticam ac Geographiam, recentissimam, ut et Historiam Brandenburgico-prussicam Ciuibus clasfium superiorum tradidit, cum iisdemque ephemerides politicas perlegit et scitu illis necessaria addidit.

Clasfis propædeuticæ primæ discipulis *Introductionem in Statisticam et Geographiam*, duce præsertim libello cl. *Büschingii*, qui *Vorbereitung zur Kenntniss der geograph. Beschaffenheit und Staatsverfassung der europ. Reiche*, inscribitur, dedit.

Cum *clasfis latinæ secundæ* ciuibus libros quosdam *Livii* et *Sallustium* cursorie legit; *clasfis latinæ tertie cætui secundo* *Ovidii* *Metamorphoseon* libros aliquot, ex editione Brunsvicensi, explicuit.

VII.

JOHANNES CAROLUS BRAUMÜLLER
PROF. EXTRAORD. ALUMN. EPHORUS.

Teutonice secundæ Clasfis civibus vitæ ad virtutis normam gerendæ regulas dedit; Progymnasmata sermone nostro conscripta illustravit; epistolas aliasque elabo-

elaborationes, filium juvenum ut formaret, exarandas mandavit; denique provinciarum, quæ Regi nostro subsunt, descriptionem delineavit.

In *Clasfis Latinæ quartæ* cætu secundo ad linguæ latinæ facultatem comparandam aliquot, ex Præceptis et exemplis recte faciendi, bene dicendi loca explicuit; nec Syntaxeos ac Profodiæ rationem habere neglexit.

In *Classe quarta græca* Aesopi fabulas et selecta Plutarchi capita, formatione verborum addita, exposuit.

In his laboribus XXXIX per hebdomadem horis fuit occupatus.

VIII.

FRIDERICVS WOLFF

MATHES. ET PHYS. PROF. ADJUNCT.

In mathematica prima Trigonometriæ, Analysis finitorum nec non Mechanicæ ac Physices elementa, in classe secunda, Geometriam tradidit.

In classe arithmetica priori fractiones decimales, quæ ad extractionem radicum quadraticarum et cubicarum spectant, in secunda, mathematicas rationes enodavit. Philosophiæ historiam in classe philosophica superiori ad nostra usque tempora deduxit, in altera Logicam exposuit.

In clasfis propædeuticæ primæ Cætu primo stili teutonici exercitia instituit, et Progymnasmata illustravit.

Hujus clasfis utrumque cætum quoque Poëticen docuit.

IX.

HENRICVS GUILIELMVS DE MAREES

PROF. EXTRAORD.

Clasfis propædeuticæ secundæ discipulis terrarum Borussicarum geographiam proposuit discendam; ut linguæ patriæ emendate scribendæ regulas sibi redderent familiares, varias crebrasque stili exercitationes instituit; præcipua doctrinæ Christianæ capita tradidit.

Grammaticam a Rectore Gymnasii V. C. editam cætu primo Clasfis quintæ latinæ ita explicuit, ut tirones ipsi ex propositis exemplis linguæ regulas elicere, recte eas intelligerent, memoriaque retinerent.

In classe græca quinta, fabulæ Aesopicas, grammatices elementis non neglectis, exposuit.

In his laboribus XX horis per hebdomadem fuit occupatus.

X.

AVGVSTVS FRIDERICVS SIMON
COLLEGA.

Prima religionis Christianæ principia, ingenio discipulorum accommodata, tradidit. Progymnasmata, nostro sermone conscripta, Phædri fabulas ac Grammaticam in exemplis illustravit, Marchiæ Brandenburgensis et Pomeraniæ descriptionem dedit, denique Arithmetices et linguæ Germanicæ elementa docuit. Omnibus hisce laboribus XXVI. per hebdomadem horas impendit.

XI.

DANIEL LVDOVICVS SIEDMOGRODZKI.

Prima latinæ et græcæ linguæ rudimenta tradidit.

In Progymnasmatum a Gymnasii Rectore V. C. conscriptorum parte secunda explicanda illam Socratis artem interrogando ingenium excitandi et colendi imitari studuit. Selecta etiam capita librorum teutonicorum dedit publice prælegenda, aut mandata memoriæ recitanda. Sic discipulos cætus posterioris clasfis secundæ teutonicæ instituit.

In cura Seminarii Theologici suscepta id egit, ut Seminarii huius civibus consilia studium privatum dirigentia suppeditaret, et notitia linguarum sacrarum eos imbueret, lectione quorundam Geneseos capitum et versione Alexandrina collata. Denique iisdem, una prælectione quavis hebdomade habita, dedit Introductionem in Theologiæ christianæ studium, desiderio et usui eorum, quos Academia mox cives recipiet, accommodatam.

XII.

IOH. CAR. ELSNER.
GYMN. INSPECTOR.

Quatuor abhinc modo menses octo per hebdomadem horis in cætu posteriori clasfis propædeuticæ tertiæ progymnasmatum segmenta tam maiora quam minora illustrare memoriæque mandare, nec non, ut et orthographice et grammaticè pure riteque scribendo pueri assuescerent, præcipuas regulas tradere, et quaque hebdomade quædam in calamum dictare coepit. Cum his coniunxit

geo-

geographiam March. Brand. exercitationes declamatorias, et selectas novæ testam. narratiunculas, quas identidem lectas explicuit, pueris proposuit atque memoriæ mandari curavit. Duabus per hebdomadem horis in classe arithmetica quarta occupatus fuit.

XIII.

JOHANNES DAVID MARTH

GYMN. CALLIGRAPHUS.

Duodecim per hebdomadem horis calligraphiam, cum omnibus infimarum clasium civibus tractavit, cum superiorum clasium autem civibus iis, qui illa indigerent.

XIV.

CAROLUS TOURTE.

LINGUÆ GALLICÆ LECTOR PUBLICUS.

Infimarum clasium civibus linguæ rudimenta inculcavit; superiorum vero stylo præsertim et colloquio vacavit. Hoc suo munere decem per hebdomadem horis functus est.

XV.


JOH. SEBAST. CHRIST. ZOLL.

Tribus per hebdomadem horis discipulos clasium quartæ et quintæ graphice docuit.


XVI.

INSPECTORES GYMNASII.

1. ERNESTUS FRIDERICUS BRODOWSKY.
2. CHRISTOPHORUS HENRICUS SÜSS.
3. IOANNES CAROLUS ELSNER.
4. FRIDERICUS EVERHARDUS-AUGUST. WIDEKIND.
5. JOH. CAR. GEORG. MARMALLE.
6. CHRISTIANUS DANIEL HENNING.
7. GEORG. HENR. LUDOV. GLAENTZER.



F. ROSS
Buchbinderei
ROSTOCK.
Willenweberstr. 16



elaborationes, stilum juvenum ut formaret, exarandas mandavit; denique provinciarum, quæ Regi nostro subsunt, descriptionem delineavit.

In *Clasfis Latinæ quartæ* cætu secundo ad linguæ latinæ facultatē comparandam aliquot, ex Præceptis et exemplis recte faciendi, bene dicendi loca explicuit; nec Syntaxeos ac Profodiæ rationem habere neglexit.

In Classe *quarta græca* Aesopi fabulas et selecta Plutarchi capita, formatione verborum addita, exposuit.

In his laboribus XXIIIX per hebdomadem horis fuit occupatus.

VIII.

FRIDERICVS WOLFF

MATHES. ET PHYS. PROF. ADJUNCT.

Arithmetica prima Trigonometriæ, Analysis finitorum nec non Mechanicæ elementa, in classe secunda, Geometriam tradidit.

Arithmetica prior fractiones decimales, quæ ad extractionem raticarum et cubicarum spectant, in secunda, mathematicas raticas. Philosophiæ historiam in classe philosophica superiori ad nostra tempora deduxit, in altera Logicam exposuit.

Philosophiæ propædeuticæ primæ Cætu primo stili teutonici exercitia instituit, et schemata illustravit.

In Clasfis utrumque cætum quoque Poëticen docuit.

IX.

HENRICUS GUILIELMUS DE MAREES

PROF. EXTRAORD.

Propædeuticæ secundæ discipulis terrarum Borussicarum geographiam prædicandam; ut linguæ patriæ emendare scribendæ regulas sibi redderent, varias crebrasque stili exercitationes instituit; præcipua doctrinæ capita tradidit.

Arithmetica a Rectore Gymnasii V. C. editam cætu primo Clasfis quintæ explicuit, ut tirones ipsi ex propositis exemplis linguæ regulas elicerent eas intelligerent, memoriaque retinerent.

In Classe græca quinta fabulâs Aesopicas, grammatices elementis non neglexit.

In his laboribus XX horis per hebdomadem fuit occupatus.

H 2

X.

